ETHICA CHRISTIANA

AVTHORE,

FAVSTO VERANTIO,

Epiſcopo Canadienſi.

AD ERVDITVM LECTOREM.

NOn tibi ſcribimus hæc, docte Vir, ſed noſtri ſimilibus. Habes multos mayorum gentium authores, qvi tuam ſitim explere poſſint. Hæc parva parvis relinqve, qvibus ad illos magnos, non patet aditus. Vale.



NIMA Hominis duas habet Facultates præcipuas, Intellectũ ſcilicet & Voluntatem. Eſtq; perſimilis Soli, cui natura tribuit lucem ac calorem. Intellectus qvidem Luci, Voluntas Calori cõparari poteſt. Intellectus Scientiis, Volũtas Virtutibus perficitur. Scientiarum apex Fides Chriſtiana eſt, Virtutum aũt Charitas. Fides cognoſcit Veritatem, Charitas cõplectitur Bonitatem. Ambæ ſimul ſociatæ, reddunt Hominem Sapientem, Sanctum, ac Beatum. Et qvamvis omnes Homines, Subſtantia Animæ, Deo conditori ſuo ſint ſimiles, ad imaginem enim ſuam fecit eos: attamen pauci ſunt qvi ipſo Habitu, id eſt, Virtute, Sanctitate & Innocentia, ei ſimiles eſſe ſtudeant: ſicq; miſeri ultimo ſuo fine, ad qvem creati ſunt, ſeſe defraudant. Nos Sacroſanctæ

Fidei

Fidei nostræ mysteriis nunc omissis; de altera tantùm parte, de Charitate nimirum, hoc est, de Christiani hominis Officiis, Moribus, seu Virtutibus hic breviter disserere instituimus.

Ac inprimis tria genera Virtutum in Homine reperimus. Primum est earum, quæ nobis congenitæ sunt, uti Ovi esse Mitem, Leoni Magnanimum, Turturi Castam. Alterius generis sunt; quę studio seu assvetudine comparātur: uti in feris videre est, qvando hominum industria mansvescunt, ac varia pręter suam naturam faciunt. Tertium genus Virtutum illud est, qvod pręter naturam, & industriam humanam, maximo Dei beneficio Hominibus confertur. Et licet, eæ qvoqve animi dotes, quę nobis à natura sunt inditæ, & qvę usu, aut diligentia sunt à nobis acqvisitæ (qvandoqvidem sunt qvædam bona) sint Dei munera, Omne enim bonum, à Deo omnium bonorum fonte emanat: nihilominus tamen hæ tertii generis Virtutes, quæ proprię ac peculiares sunt Christianorum, per excellentiam Virtutes, ac donæ Dei maxima, meritò dicuntur & sunt. Nam præsidio earum, illud summum bonum qvod qværimus, conseqvimur. De primo genere, satis multa Phisici, de secundo Ethici, Ethnicorum Philosophi tractarunt: nos, utpote Christiani, de hiis verè divinis Virtutibus, ipsius Divinitatis numine invocato; paucis pro modulo nostro agemus.

Virtutes itaque Morales Christiani hominis, sunt qvidam Habitus Voluntatis, ad benè operandum, à Deo qvidem maximo suo munere inditi ac soti, ab ipso verò Homine promptè exceptj & excultj, ad gloriam in primis eyusdem Dej, deinde verò ipsius Hominis summā fælicitatem directi, &c.

Virtutis generaliter sumptæ sinonima hæc sunt: Vis, Charitas, Iustitia, Fortitudo, Bonitas, Boni mores, Bona opera, Amor boni, Odium mali, Sanctitas, Lex Dei, Regnum, Libertas, Spiritus, Pax, Novus homo, Mortificatio, Exercitatio, Obedientia, Renunciatio, Abnegatio sui, Crux, Contemptus Mundi, Impassibilitas, Puritas cordis; &c. Ex adverso Vitium est, qvod Peccatum, Concupiscentia, Iniqvitas, Mala opera, Opera carnis, Mali

fructus,

fructus; Caro, Servitus: sed & aliis vocabulis passim in Sacra Scriptura nominatur.

Virtus in primis rectè, ni fallor, Vis denominatur. De ea enim Dominus dicere videtur: Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. Hoc est, qui naturæ suæ corruptæ, in contrarium nitenti, vim aßerunt, neque voluntati carnis cedunt, Hi se ipsos vicisse, seque supra se extulisse dicuntur. Id verò mayus longè est, quàm multas gentes debellasse, variasque provincias devicisse. Hoc potuit facere Alexander ille Magnus, illud verò non potuit: constat enim eum Superbia, Gulę, Ira, aliisque Vitiis succubuisse.

Quod autem Charitas, pro omni genere Virtutum summatur: plura testimonia habemus. Primò quidem Dominus ipse in iis duobus mandatis, quæ de Dei & Proximi Dilectione agunt, totam Legem, omnesque Prophetas pendere testatur. Deinde D. Ioannes Evangelista, non aliud in senectute extrema, per singulas collectas, discipulis suis inculcasse perhibetur, quā hęc pauca verba: Filioli diligite alterutrum. Rogatus quare non aliud præciperet, sed idem semper ingeminaret, respondit; Quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit. D. Augustinus in quadam sua epistola scribit, Charitatem includere in se omnes virtutes Cardinales. Gregorius magnus dicit, omne mandatum de sola Dilectione eße, & omnia pręcepta unum eße. D. Paulus ait, eū qui proximū Diligit, legem implevisse. Item non adulterare, non occidere, non furari, & alia omnia legis pręcepta, in hoc solo verbo instaurari; Diliges proximum tuum. Alio verò loco, Charitas inquit, patiens est; benigna est, Charitas non ęmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quęrit quę sua sunt, non irritatur; non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Quibus locis clarè videre est, Charitatem ad instar omnium Virtutum eße, eamque omnium earum genera in se continere.

Ex adverso hęc eadem Virtus, est quoddam Odium sui, ac suorum, imo omnium eorum, quę in Mundo sunt. At verò hoc

Odium,

Odium, bonũ ſanctumq; Odium eſt, de qvo Dominus: Qvi Odit animam ſuam in hoc Mundo, in vitam aternam cuſtodit eam, & qvi amat animam ſuam perdet eam. Item; Qvi non Odit patrem ſuum, & matrem ſuam, fratres, ſorores, uxorem, ac liberos ſuos, qvin & animam ſuam; non poteſt eſse meus diſcipulus. Hic verò Dominus non intendit, naturæ cuyus ipſe ſator eſt, invertere ordinem, & cuyus inſtinctu nos ipſos, noſtroſq; amare impellimur, qvem Amorem Græci propriè Storgin vocant. Verùm alterum illum Amorem præpoſterum inhibet, qvem ijdem Græci Philaſtiam dicunt, quo nos ſeu noſtros, non eo modo qvo decet Diligimus, qvum nempè magis corporis, qvàm animi, hoc est tẽporanea magis, qvàm æterna bona diligimus, & conſectamur.

Yuſtitiam itidem pro univerſali Virtute, in divinis Scripturis uſurpari conſpicimus, qvando multos, qvos omni genere Virtutũ ornatos fuiſſe cõſtat, uiros Yuſtos ac timoratos appellãt. Sed & vulgare proverbium eſt, Yuſtitiam in ſe Virtutes continere omnes. Non loqvimur hic de ea Yuſtitia, qva qvis in aliorum controverſiis dirimendis, Yuſtus eſt; ea enim particularis qvędam Virtus eſt, ac in homine inyuſto qvoq. atq; tiranno ineſſe poteſt, & magis Politica qvàm Ethica dici debet. Sed eam intelligimus, qvę in omnibus rebus, illud qvod decorum ac honeſtum, Yuſtumq. eſt, tam erga ſe qvàm alios, verbis ac factis, uti oportet exeqvitur.

Hanc eandem Virtutem univerſalem, non incongruè Fortitudinem dici poſſe exiſtimamus, deſumpta a corpore ſimilitudine. Nam qvod in corpore Fortitudo, hoc in animo Virtus eſt; Et uti is qvi viribus pollet, Fortis dicitur; ita is qvi Virtutibus eſt præditus. In ſacris Proverbiis, Mulier ſtùdioſa, Fortis; Vir itidem Bonus, Fortis dicitur, neqve hęc ea eſt Fortitudo qvam alii circa corporis labores doloreſqve perferendos, vel etiam ipſam mortem in bello pro patria alacriter ſubeundam verſari dicunt. Hęc enim particularis, & uti ipſimet deſcribunt, Militaris eſt, habetqve pro ſuo fine, gloriam huyus vitę. Nos aliam patriam, aliam gloriam inqvirimus; Nam qvamvis corpore in terra hac ſimus poſiti; converſatio tamen noſtra, in cælis eſſe

debet,

debet, & ideò Fortitudinem Christianam, in omnibus huyus vitę, vel placitis devitandis, vel duris pro gloria Dei, & nostra salute sustinendis, constituimus.

Species Virtutum maximè communes, tres numeramus. Earum prima, uti nos Christiani loqvimur, est Humilitas, altera Castitas, tertia Paupertas. Ethnici primam qvidem Modestiam, secundam Temperantiam, tertiam Liberalitatem dixissent. Nostra tamen hæc vocabula aptiora videntur, qvamvis neutra earum naturam satis exprimant: at qvum magis propria non habeamus, Definitionibus illas suis describemus, si prius huyus Divisionis rationem reddiderimus. Eam nos Sacræ Scripturæ, & Ecclesiæ authoritate, deinde ipsa ratione fulcimus. Nam D. inprimis Ioannes Evangelista apertè affirmat: Omne id qvod est in Mundo, aut concupiscentiam Carnis, aut concupiscentiam Oculorum, aut vitæ Superbiam esse. Item in Sacra Historia, tribus modis Christus Dominus à Diabolo tentatus esse dicitur. Idem Dominus in qvadam parabola, tria hominum genera describit, qvi Villis, Bobusqve emendis, ac Vxoribus ducendis occupati, ad illud Divinum epulum venire neglexerunt. His tribus tentationibus, ac tribus hominum generibus, has tres Virtutes, ac tria adversa Vitia, à S. Patribus nostris designari audivimus. Præterea in Ecclesia, ii qvi se Deo totos devovent, atqve perfectissimum genus vitę profitentur, qvum initiantur, prius tria illa solennia vota faciunt. Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis, & sub hiis vocabulis, omne genus Virtutis promittunt. Hæc sufficiant pro authoritate: Rationem autem sumimus ab obyectis earundem Virtutum, seu Vitiorum. Ea sunt tria, nempe Animus, Corpus, ac Res externæ: Circa qvæ versantur, Honor Voluptas, & Vtilitas, in qvibus homines terreni Fœlicitatem suam constituunt, eaqve inter summa bona numerant. In hiis peccatur, Ambitione, Luxuria, & Avaritia. Contra hęc monstra, militant Humilitas, Castitas, & Paupertas Christianorum, id est Hominum Cœlestium, qvas paulò superius posuimus, nunc igitur de singulis earum, suo ordine dicamus.

Humi-

Humilitas est Virtus, quæ facit ut Homo modestè, ac modicè de seipso sentiat. Est inquam contemptus Honoris.

Humilitatis Species tot possunt numerari, quot sunt Materiæ, circa quas versatur. Eæ verò sunt eædem, quas paulò antea recensuimus, nēpè Bona Animi, Corporis, & Facultatum. Quæ quidem singula, uno respectu singulis supra dictit Virtutibus propriè subyecta sunt, uti yam diximus, ac in posterum quoque clarius dicemus: alio verò respectu, huic uni subyiciuntur. Bona inquam Animi sunt Scientia, Eruditio, variæ Artes, deniq; Nobilitas, Dignitas, Potentia, &c. Bona Corporis, Sanitas, Robur, Agilitas, Pulchritudo, &c. Bona Externa sunt, preciosa suppellex, Latifundia, Aurum, Argentum, & cætera quæ hys æstimantur. Quæ si Superbus habeat, insolescit, effertur, reliquos præ se contemnit, nihili æstimat, ab omnibus sibi honorem deberi putat, neq; sese intra cancellos Modestiæ continere potest. Si non habeat, habere simulat foris, intus miserum se reputat, ideoq; habentibus invidet. Sed est & aliud quoq; genus Bonorum Animi, de quibus pleriq; vani homines Superbiunt, ut sunt Sanctitas vitæ, Innocentia, atq; ea ipsa de qua loquimur Humilitas: Non quidem illa vera, sed tantùm externa, in hys sibi placent, & ab alys magni fieri volunt. Hi sunt Hypocritæ, hocq; genus Superbiæ seu Ambitionis, nimium præposterum atq; perniciosum est.

Vir autem Humilis, constanter sese in his omnibus gerit: purum enim oculum à pulvere habens, cōsiderant naturam harum rerum, non eas illo modulo metitur quo vulgus hominum: nihil se boni habere, quod non acceperit cognoscit, itaq. non ea propria sua virtute acquisivisse, sed Dei dono accepisse: se pulverem ac cinerem, ipsius solius gloriam & honorem esse, sibi autem, propter varia scelera quæ commisit, confusionem faciei deberi. Hac animi submissione, gratiam apud Deum & homines, verumq. Honorem adipiscitur, ac veniam anteactorum delictorum consequitur, uti in parabola illa Pharisæi & Publicani nobis proponitur. Vltrà enumeratas Species Humilitatis, quas ex obiectis accepimus, sunt aliæ, quæ secundum Modos earum distinguuntur, uti sunt Obedientia, Reverentia, Humanitas, Taci-

turnitas, Mansuetudo, Patientia, Bonitas, Affabilitas, & similes. quas singulas describere supervacaneum existimamus, nam parum ab invicem differunt.

At præter Species Virtutum ac Vitiorum, necessarium est etiam Gradus quosdam in eis considerare; quibus de Minore Virtute, ad Mayorem eyusdem Speciei ascendimus, & ex adverso à minore Vitio ad enormius, nisi cauti simus prolabimur. Hos Gradus, certo aliquo ordine ac numero recensere; perdifficilè fuerit, primum tamen ac ultimum dari posse existimamus.

In Humilitate quidem sit primus Gradus, tanti se facere, quantus quisq; est, id quod Ethnici dicunt, Se ipsum noscere; id est, se unum de numero mortalium agnoscere, neque omnium pessimum, neq; omnium optimum. Eos Honores, ac Dignitates admittere, quibus rectâ ratione, ac lege Divinâ dictante, parem se esse yudicat. Supremus autem gradus est, omnium se mortalium postremum, ac peripsema reputare, ideoque oblatos etiam Honores fugere, vilissima queq; munia obire, falsis criminationibus de se factis conivere, suas Virtutes abscondere, Vitia fateri, illatis Ignominijs gestire. Qualia nostræ Religionis conditores fecisse legimus, qui gaudentes à conspectu concilij discedebant, quando digni habiti erant; pro nomine Christi contumeliam pati. Infra primum Gradum Virtutis descendere Vitium est, quoque magis descenditur, tantò mayus: in primo Gradu consistere, Divinum præceptum est; altius verò quò quis possit evadere, Evangelicum Consilium est.

Castitas est Virtus, coercens Hominem à Corporis Voluptatibus, a castigando dicta.

Species Castitatis eo numero sunt, quo eyus Subyecta, nempè quino, tot enim sunt Sensus Corporis. Ab illecebris igitur Sensuũ abstinentem, Castum, Continentemq; appellamus: Intelligimus autem Sobrium, Vigilantem, Temperatum, Pudicum, &c. Et tamen adhuc vocabulis destituimur, quibus eos quoque homines comprahendimus, qui Sonorum, Colorum & rerum Pulchrarum usu abstinent, hoc est Nasi, Aurium, ac Oculorum oblectamentis. Nam & in hys peccatur, at magis Gustu, quando quis videlicet

licet

licet præter modum, cibo vel potui indulget. Verùm omnium maximè delinquitur sensu Tactus; rebus nempè Venereis, qvod in hoc toto genere, est turpissimum atq; gravissimum. Qvum enim omnium reliqvorum Sensuum iste infimus sit, est tanqvam sentina qvædam, in qvam decolant omnia paulò antea enumerata Corpus Vitia. Lasciviæ Species ab authoribus, nunc qvidem secundùm diversos Gradus Statuum & affinitatis, nunc verò secundùm varios eyus Modos numerantur. Castimoniæ autem tres Species ponunt Theologi, Conyugalem, Vidualem, & Virginalem.

Vir igitur Castus & Continens, considerans se qvidem corpore Brutis, animo verò beatis ac immortalibus illis Spiritibus, atq; adeò Deo Optimo Maximo esse similem: qvantum potest satagit, se ab omni carnis labe mundum præstare, atque solas veras ac solidas Voluptates spirituales sectatur. Luxuriosus autem nihil se supra reliqvas animantes attollens, huic limo immersus, vanis ac fœdis corporis titillationibus indulget, quibus non solùm eam partem sui nobilissimam, qva præcipuè Homo est; sed etiam ipsum corpus cui studet, nimium stultè offendit, enervat, destruit.

Gradus Castitatis, qvemadmodum & Humilitatis, sunt plurimi, nos primum ac ultimum notabimus. Primus est, concessis Corporis Voluptatibus, moderatè uti: supremus fame, siti, aeris intemperie, vigilÿs, laboribus, solitudine, alÿsq; eyusmodi incommodis, & conflictationibus, Corpus edomare, & in servitutem rationis redigere, uti Eremitæ faciebant. Præterea alia etiam mala eyus generis, ab alÿs hominibus, vel ab ipso Deo immediatè illata, æqvo imò libenti animo tollerare, hoc est morbos, vincula, verbera, vulnera, mortem deniqve qvamcunq. acerbissimam, pro Dei gloria, vel hominum salute subire, qvod innuros Christi Martyres fecisse novimus.

Paupertas tertia Virtus animi est, qva modum rebus habendis statuimus: est inqvam contemptus Opum.

Species Paupertatis tot qvidem possent constitui, qvot earum rerum species sunt, de qvibus Homines Pauperes, vel Divites esse

denominantur: ut sunt pecora, vinum, frumentum, agri, & similia. At qvum omnia ista sub una Pecunia cõprahendi possint; nõ plures diversæ Species Paupertatis, sed una magis propriè dicenda erit. Pauperem autem hoc loco, non eum intelligimus, qui vel conditione, vel aliqvo infortunio; sed electione propria, ac consilio talis est, huic hujus Virtutis palmam deferimus. Talis Pauper ab una quidem parte mente perpendens, qvàm paucis natura humana, ad sui sustentationem indigeat, qvàm brevi tempore nobis his rebus utendum, qvàm benignum Patrem in cœlis habeamus; qui nostri majorem curam habeat qvàm Parentes terreni habere possint. Ab altera verò, qvantis curis, laboribus, periculisq, corporis atq. animi, divitiæ acquirantur, conserventur qvantá fomenta omnibus Vitiys subministrent: generosa atq. alta mente eas despicit, fastidit, contentus necessariys, sua Frugalitate delectatur, id qvod superest in indigentes liberaliter dispergit, hacqve ratione maximos sibi thesauros, qvi non possint auferri, comparat. Avarus ex adverso, sive timens ne sibi aliqvando necessaria vitæ deficiant, sive perspiciens Pecuniam ad obtinendos honores, & qvascunq. voluptates presentaneam esse; maximi boni loco eam habet, & uti qvempiam Deum colit, ideoq. omni industria, periculo, labore, dolo, vi eas habere, & in immensum augere satagit, nihil pensi habens, qvo jure, qvave injuria id fiat. Errogare autem vel amittere, nonminus, qvàm mortem ipsam horret; ideò debita si qvæ habet, etiamsi sit solvendo, tamen in longum protrahit, supprimit, vel qvantum potest precidit, laborantibus necessitate non compatitur, non largitur, qvemadmodum dives ille Epulo in Evangelio descriptus faciebat. Sed præter hæc, aliud quoqve genus Avaritiæ est, idqve valde preposterum: nam cum contrario sibi Vitio; id est, Prodigalitate conjunctum est, quando aliena avidè auferuntur, & eadem deinde luxuriosè profunduntur.

Paupertatis Gradus hi statui possunt: Primus sit nemini qvicqvam debere, absq. aliena injuria acqvisita possidere, atq. etiam augere: at sine magna anxietate id facere, & extremæ

necessi-

necessitate laborantibus, pro facultate subvenire. Vltimus vero Gradus erit, sua omnia ad cultũ Dei, Hominumq; necessitates, magna Charitate, magnoq; animo profundere; si ei vi vel fraude sua auferantur, non litigare, non contradicere, sed cum gaudio potius sustinere, labore manuum suarum, sibi necessaria comparare. Tales nimirum illud sibi dictum intelligunt: Habentes victum & vestitum, ijs contenti sitis. Item; Si vis esse perfectus, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis. Ad hos Paulus loquitur, cum dicit: Fratres cum sitis ipsi sapientes, libenter suffertis insipientes, sustinetis enim, si quis vos in faciem cadit, si quis vobis vestra aufert, &c.

His verè divinis Virtutibus innumeri Christianorum hactenus excelluerunt, atque etiam nunc sunt, qui in eis cum laude exercentur. Iteoque nulla ab orbe condito, tam sancta & tam perfecta Religio fuit, sed neque esse potest, atq; hæc nostra est. Hæ tres Virtutes, vera Fide & Charitate parentibus ortæ, reliquarum omnium genitrices sunt: his enim universa de Moribus seu Officiis doctrina, omnia Christiana legis Precepta, quæ passim in Sacra Scriptura habentur, quasi quodam fasciculo comprehenduntur. Earum simbolum est Crux Christi Domini vivifica: Ipse enim in ea summam Paupertatem expressit, quando vestimentis suis, quę sola in bonis habebat, spoliatus fuit: summam Ignominiam, quando medius inter duos latrones appensus est: summum denique corporis Dolorem, quando accerbissimam mortem mirabili patientia pertulit, quin & pro presecutoribus suis oravit. His Virtutibus Dominum colimus, eiq. dignum omnium rerum nostrarum, ac nostri ipsius holocaustum offerimus. His Homines complectimur, quando nempè eis Existimationis, Corporis, ac Rerum commoda, quatenus licet ac decet, Dei intuitu procuramos. Majus autem adhuc aliquid prastamus, quum hęc caduca, eos non pluris quàm sunt, æstimare cupimus, & quantum in nobis est, etiam procuramus. Non enim sufficit Viro Bono, ut ipse solus hii Virtutibus preditus sit, sed ad eum illud etiam spectat, ut omnes quos p s-

sit,

ſit, precipuè autem illos, qui ſuæ fidei crediti ſunt, iiſdem imbuendos ac perficiendos, omni ſtudio curet. Quomodo enim quis verè Humilis, Caſtus, aut Pauper erit, qui has Virtutes ſe habere aveat, alios tamẽ Elatos, Luxurioſos & Avaros eſſe, æquo animo ferat, & quatenus poteſt non prohibeat? Hoc illud Unum eſt quod Dominus omnibus neceſſarium eſſe dicit: hic ille theſaurus abſconditus eſt ab oculis amatorum Mundi huius: hæc illa precioſa Margarita, quam prudens mercator omnibus rebus ſuis venditis & diſtractis emit. Has Honores Ambire, has Voluptates Concupiſcere, in his Divitiis conquirendis Avarum eſſe; verè honeſtum, utile, & iucundum eſt. Qui has tres Virtutes poſſidet, ille veros Honores, veras Voluptates, veras denique Divitias, hic per ſpem iam habet, in altera autem vita, paulò poſt re ipſa habebit; ille omni terreno Rege, vel Philoſopho beatior, ille ſupernis poteſtatibus admirabilis, Deo denique Optimo Maximo ſimilis eſt.

His Virtutibus tria illa turpiſsima Vitia contraria ſunt, Superbia nimirum, Luxuria, & Avaritia, è quibus uti ex quibuſdam putidiſsimis fontibus, omnes reliquæ Vitiorum ſordes promanant, uti ſunt Rixæ, Calumniæ, Fraudes, Adulationes, Iræ, Invidiæ, Inſidiæ, Veneficia, Furta, Maledicta, Blaſphemiæ, Homicidia, & ſexcenta alia, quibus maxima pars hominum imbuta eſt; Virtutibus autem de quibus hactenus locuti ſumus (heu) minima. Sunt multi, qui in medio horum conſiſtunt, hoc eſt partim quibuſdam Virtutibus ornati, partim verò Vitiis infecti; hii à Propheta tepidi vocantur, ideoque per vomitum eiiciendi. De his dicitur, quod modicum fermentum, totam maſſam Virtutum corrumpit, & qui in uno peccat omnium Reus eſt. Tales non ineptè Navi cuipiam poſſunt aſsimilari, quæ licet nova, benè compacta, ac pice oblita ſit; modò unum minimum foramen habeat, neque obſtruatur, procul dubio brevi ſubſidet, & ad ima dehiſcet. Ita uno Vicio animi, niſi tollatur, totus theſaurus Virtutum deperit, laborq; ſuſceptus irritus redditur. Non dicimus hic Hominem, natura fragilem, ab omni ſe prorſus pulvere peccati purum, dum in hac terra peregrinatur, quam-

vis

nis solicitum ac diligentem servare posse; hoc enim solis beatis illis Spiritibus concessum est. At satagendum est, ut quantum fieri potest, non coinquinetur, & postquam coinquinatus fuerit, omni studio se purgare studeat, si in illa beatorum patriam pervenire velit, quo nihil coinquinatum inferri potest. Neque id omnino necessarium esse existimamus, ut quis in omnium Virtutum apicibus consistat, hoc enim vix cuiquam datum est, at in aliqua praeminere multis, Moysi quidem mansuetudine, Iosepho castitate, Iob patientia, &c. Sufficit ad salutem, ut singularum istarum Virtutum, aliquam saltem partem quis habeat, & intra limites Divinę legis sese contineat.

Si has tres Virtutes ad invicem comparare velimus: non est dubium, quin cęteris paribus, Humilitas primum locum dignitatis obtineat, secundùm Castitas, tertium Paupertas. Quantò enim animus corpore nobilior & præstantior est, corpus verò externis rebus: tantò & affectiones earum inter se collatę, præstantiores erunt. Res quippè externæ corpori deserviunt, corpus animo. Hoc quòd dicimus, Dominus in ea parabola delineavit, quæ de Pharisæo & Publicano est. Non enim illi castigatio corporis, non rerum suarum religiosa dispensatio tantùm profuit: quantùm huic, omnibus his præsidiis destituto, qui præterea proculdubio furto aliisq; vitijs deformato, sola animi demissio. Sic Mater quoq; Domini, non ob paupertatem profectò, quàm patientissimè, licèt Regio stemmate orta, ferebat; non ob nitorem Virginitatis, quam Deo prima mortalium, nullo ad id usq; tempus exemplo præcedente, devoverat, atq; præ omnibus quoq; posteris eximiam habuit: verùm ob suam singularem Humilitatem, seu animi demissionem, se Deo in primis gratam acceptamq; fuisse, magna mentis exultatione cecinit, eoq; nomine ab omnibus futuris generationibus, beatam se fore prædicandam prophetavit. Haud dubio eò evecta, super omnes choros Angelorum, unde Lucifer ille, ob enormem mentis elationem, ad ima inferni præceps fuerat deturbatus. Quod una Virtus aliā licet Specie differentem adjuvet, hoc est, qui unam tenet, alteram facilius consequatur: nemini

ni dubium esse debet: sunt enim sorores germanæ, atque ideò mutuo nexu sese complectuntur. Itaq. is qui Paupertatem colit studiosè, certum est quod facilius adducetur, ut corpus à luxu contineat, quin & jejuniis aliisque afflictionibus domet, quàm is qui divitiis abundat. Ita deinceps ipsa corporis castigatio, insolentiam, & elationem animi egregie cohibet. Ex adverso Opes, occasionem maximam, tàm luxui quàm fastui præbent, sunt enim, ut quidam dixit, irritamenta omnium malorum.

Effectus seu exercitia harum trium Virtutum præcipua hęc sunt: Humilitatis quidem supplex ad Deum Oratio; Castitatis vero Yejunium, id est severitas quędam ergo proprium corpus: Paupertatis, eleemosina seu liberalitas erga proximum. Hęc triplex observantia, omnium Virtutum compręhendit effectus, ut D. Leo Papa ait, sermone 1. de Teiunio mensis 7. Oratio ad Deum tunc est perfecta, quum omnes animi facultates, nempe Memoria, Intellectus, & Voluntas, quoad fieri potest in Deum intenduntur. Id autem fit commodè, quando abdicatis & ad partem positis, omnibus Honorum, Voluptatum, Facultatumq. curis, in contemplationem rerum diuinarum mentē elevamus. Hoc Dominus innuebat, quando, ne crapula & curis huyus sæculi nos gravaremus, pręcipiebat. Sed & D. Augustinus, ab Angelo doctus, Yeiunium, & Eleemosynam duas esse alas, quibus elevata Oratio facilè ad cœlum evolat, hancq. nostram esse Yustitiam testatur. Qua vero ratione sit Yeyunandum, & qua Eleemosyna facienda: hoc Dominus ac Magister noster, referente D. Matthæo Evangelista, diviné docuit.

Passiones animæ irrationalis seu sensitivæ, duæ sunt præcipuè (ut nunc loquuntur) Concupiscentia, & Irascibilitas, hoc est, Amor & Odium. Ex his profluunt Spes, Timor, Lætitia, Dolor, Audatia, Pusillanimitas, aliæq. huyusmodi affectiones. Hæ sunt quædam vehicula, tàm Virtutum, quam Vitiorum, prout quis eis benè vel malè utitur. Has Epictetus intuens, duas partes cuiusq. Virtutis constituit, quarum alteram, Bonorum huyus vitę Abstinentiam, seu Continentiam nominavit, ad compescendam nempè partem animæ concupiscibilem idoneam:

alte-

Alteram uerò Sustinentiam, Patientiam seu Tolerantiam, eorum utpotè Malorum quę nobis euenire possunt, quę circa animę partem Irascibilem versatur. Illius prioris in prosperis, huyus in adversis usus est: illa simpliciter Virtus, hęc per excellentiam Fortitudo, Indolentia, Magnanimitas, ac Heroica Virtus meritò vocabitur. Vir enim simplici Virtute prędítus, abstinet ab immodicis honoribus, delicÿs, & opibus: At Fortis, Magnanimus, & Heroicus, hęc omnia supergreditur, ac magis extrema egestate, ignominÿs, varÿsq; corporis incommodis, pro Deo susceptis gaudet, quàm alius, qui exquisitissimis Mundi illæcebris delibutus est, ideoq; verè Heroicus, Divinusq; est.

Hanc Virtutem Heroicam Aristoteles, licet multa de ea scripserit, non tamen agnovit, sicuti nec cæteras Virtutes. Nec mirum, verum enim Hominis Finē, veramq; Fœlicitatē, ad quam Virtutes hominem deducunt, ignorabat. Ponit deinde Fortitudinem & Temperantiam, pro duobus fontibus cæterarum Virtutum, quarum deinceps undecim numerat Species, nempè Liberalitatem, Magnificentiam, Magnanimitatem, Honorum cupiditatem, Mansuetudinem, Veritatem, Vrbanitatem, Amicitiam, Verecundiam, Distributionem honorum, & Iustitiam. Qua ratione, quavè Methodo, non assequor; quædam enim earum Virtutes, quædam Vitia, quædam autem ex his, fictę seu dubię Virtutes sunt.

Dubias Virtutes voco, quę aliquando quidem Virtutes scilicet, aliquando autem Vitia esse possunt. Id ab intentione & fine eyus, qui iis utitur pendet. Nam exempli gratia, si quis sit patiens, urbanus, sustinens, mansvetus, obediens, &c. eo fine ut hominibus blandiatur, sicque honores, voluptates, seu divitias aucupetur (quod sępius contingit) quamvis hęc nomina sint per se speciosa, & Virtutes forinsecus esse videantur; re ipsa tamen erunt Vitia, eò quod non bono fundamento nitantur, neque rectum finem spectent. Ex adverso si quis talis sit, ut Deo placeat, ut ęternam beatitudinem consequatur: is verè Studiosus erit. Vicissim Ira, Invidia, alięquę huyusmodi affectiones, licet prima fronte plerumque Vitia esse videantur; sunt nihilo-

K minus

minus aliquando Virtutes. Et quidem Ira vitium erit, si ob terrena bona plus æquo irascamur, & tunc semper Superbiæ est conjuncta, quamvis quandoque ab Avaritia trahat suam originem. Aliquando vero est Virtus, quum scilicet propter Dei honorem, vel Hominum commodum, contra impios, præsertim nostra potestati subjectos, excandescimus, & vocatur à Græcis Zelus. Hoc Zelo accensus Moyses Aegiptium occidit; hoc Phinees & Mathathias laudabiliter usi sunt. Invidia vero tunc Virtus est quum dolemus indignos ea bona habere, quæ bonis debentur, vel quæ iisdem possessoribus noxia judicamus, & dicitur Nemesis.

Quid nos de Fortitudine sentiamus, jam aperuimus. Temperantiam dicimus esse Speciem Continentiæ seu Castitatis generaliter sumptæ; illa enim circa quosdam tantum Sensus versatur, hæc circa omnes. Urbanitas, Comitas, Eutrapelia, Affabilitas, & cæteræ ejusmodi, possunt quidem esse Virtutes Civiles seu Naturales, at non Christianæ, hoc est solidæ. Enimvero potest quis esse perfectus, licet nullam ex iis habeat, sed contra sit severus & tristis. Verecundia non est Virtus propriè dicta, sed est passio quædam laudabilis, ex Virtute proveniens. Justitia de qua ipse disputat, & Distributio honorum, sunt Virtutes Politicæ, uti in principio diximus, neque ad omnes pertinent, sed ad eos tantum qui magistratus gerunt. Honoris cupiditatem, quam ipse Virtutem appellat nos Ambitionem, & ideo non Virtutem, sed potius Vitium esse judicamus, & quandam animi imbecillitatem, ejus qui non possit suo bono subsistere, sed aliena honoratione fulciri velit. Veritas si pro Veritatis cognitione sumatur, speculativa Virtus est; si pro Veritatis amore, est quidem plerumque quædam Virtus moralis: ut autem sit perfecta, ab una illarum trium quas pro fontibus cæterarum posuimus, manare debet; & sic ab illa perficietur & denominabitur. Verbi gratia, si quispiam sit inops vel ignobilis, seque talem esse lubens fateatur, verax ac veritatis amans est, at simul etiam humilis & modestus, ac ideo Virtute præditus erit, eo quod se deprimat, suamque inopiam ac ignobilitatem fateri

non

non erubescat. Verùm sępę sæpius contingit, ut Veritas sit vitiosa, ideoque possessoribus noxia, quum videlicet malo fine, vel modo proferatur. Hoc faciunt ii, qui suas Virtutès superbè jactant, & ii qui de Vitiis suis gloriantur, quique aliorum secreta facta aut dicta, vel odio eorum; vel suo commodo propalant.

Amicitia de qua Aristoteles, Cicero, & alii multi Ethnicorum multa scripsere, eamq. miris modis extulere; itidem non est meo judicio solida Virtus, sed quædam Naturalis similium societas, quam brutis quoque animantibus videmus inesse, & huyusmodi est amor agnatorum & gentilium. Hæc Amicitia, est quædam umbra Charitatis Christianæ. Nam Charitas, illam infinitis modis præcellit; ob nobiliores suas causas & effectus. Illa sanguine, consvetudine, vel morum similitudine coalescit: aut in proprium plerumque commodum vel delectationem desinit. Charitas autem Christiana in primis quidē erga bonos, & fidei domesticos sese dilatat, postea verò erga malos etiam, & hostes ipsos, atque adeò erga totum humanum genus, gratuitò extendit beneficentiam ac benevolentiam suam; non sua sed aliena commoda respicit; non tantùm temporanea, sed magis ęterna bona, quantum in se est omnibus procurat.

Magnanimitas non est aliqua separata ab aliis Virtus, sed, uti jam diximus, versatur circa apices omnium Virtutum. Is nimirum verè Magnanimus erit, qui summos Honorçs, magnas Voluptates, amplas Divitias contemnet: ex altera parte Opprobria, Corporis incommoda, Rerumq. suarum dispendia, magno animo suscipiet. Hoc ita esse, ipsa vocabuli interpretatio ostendit. Magnificentia verò, Munificentia, seu Liberalitas, circa Pecuniam, & ea quæ pecunia æstimantur, versantur, ideò rectè ad Paupertatis Virtutem, de qua superius egimus, referri possunt. Hanc Magnificentiam Ethnici, plerunque in Prodigalitatem convertebant. Sic Reges Aegypti insanis sumtibus Pyramides suas exstruebant: Sic Alexander ille Magnus, multa talenta, mediocribus hominibus largiebatur: sic Romani Imperatores magna vi pecuniæ, Circos, Theatra, Thermas exædificabant, congiariaq. populo ut

k 2 pla-

placerent largiebantur. Hacqve ratione splendidi ac Magnificii, Liberales, Munifici, Magnanimiqve à vulgo reputabantur, re ipsa autē Prodigi erant. Nā in res inutiles, imò noxias, Aurū sudore ac sanguine populorū congestū, profundebāt. Huyusmodi expensæ a Christianis in Tēpla ac alia eyusmodi, quę ad Dei cultū pertinēt, ritè fieri possunt, si necessitas Pauperum non impediat: eo enim casu, etiam sacra suppellex distrahenda svadetur. At vera Magnificentia Christiana (sicut & Magnanimitas) non semper in exteriori opere apparet; Virtus enim in animo est. Magnus inqvam erit, Magnanimus, ac Magnificus, & Admirabilis, qui ea qve vulgus hominum magni æstimat, ille nihili facit, de qvo Sapiens: Beatus inqvit vir, qvi post aurum non abiit, fecit enim mirabilia in vita sua. Munifica erat Vidua illa Sareptana, qvæ modicum farinæ, & olei quod habebat, posthabita sua filiiq. salute, Eliæ Prophetę promptè obtulit. Magnifici erant Apostoli, licet parvi momenti bona propter Christum reliqverint. Magni item animi erat illa altera vidua, qvæ duo tantùm æra in Gazophilatium intulit, licet alii plura yecerint. Plus enim ille dat, qvi licet modicum det, dat totum qvod habet; qvàm alius, qvi qvamvis multa det, multò tamen plura pro se retinet.

Yam Prudentia, non tàm est Virtus aliqva, ab aliis separata, qvàm modus qvidam, mensura, norma, seu regula omnium Virtutum. Ne qvid nimis, videlicet, ne qvid minus qvàm oportet fiat. Prudētiæ enim munus est suggerere & pręscribere, qvid in quaq. rè qvando, qvantum, & qvaliter agendum sit. Hæc Prudentia aliter Discretio ac Yuditium dicitur. In veteri lege, per Salem figurabatur, sine qvo nullum sacrificium ritè offerri poterat: absq; Prudentia siqvidem nulla Virtus perfecta est. Eam D. Paulus Scientiā vocat, cū de qvibusdā loqvitur, qvos dicebat Zelū qvidē ergà Deū habere, sed nō secūdū Sciētiā. Hæc eadē Mediocritas rectè vocabitur, nō qvidē illa, qvā alii inter duo extrema vitia mediā Virtutē collocāt; multæ etenim Virtutes sūt qvę alterum extremū Vitiū non habent, præsertim apud Christianos. At nos illā intelligimus, qvæ inter naturalē Hominis infirmitatē, ac supręma Virtutū cacumina, hominē medium facit, hoc est, svadet cuiq. ut ad sūma qvidē, maximo qvo potest nisu, & qvā fieri pōt

proximè

proximè accedat, id est potiora charismata sectetur. At ex altera parte monet simul, maturè prius deliberat, viresq; suas experiatur, ne impar postea ab opere desistat, & quòd peyus est, de superiore gradu, mayore casu recidat. Hęc Prudētia, nō immeritò Divina ac cœlestis dici potest, divinos enim Deoq; simillimos Homines efficit. Nā alia est Prudētia seu Providentia humana, quæ circa huyus vitæ cōmoda occupatur, & Prudentia carnis vocatur, estq; huic ex diametro cōtraria. Prudētia enim huyus mūdi, apud Deū stultitia est; sicuti ex adversò Dei Sapiētia apud Mūdanos stultitia est; Dū illa honores, voluptates, opes, quærit consectatur, ista spernit: illa afflictiones, ignominias, detrimēta fugit, ista spontè suscipit. Perseverantia itidem, non est aliqua Species Virtutum; sed earum Affectio. Nam sicuti Prudētia, est rectus quidā modus Virtutum; ita Perseverantia est tēpus Virtutū, quo quilibet, qui Deo gratus ac beatus esse vult, in Virtutum exercitio perpetuò durare debet. Non enim qui incępit, sed qui usq. in finem perseveraverit, saluus erit, eadem Constantia dicitur. Huic Perseverātiæ, alia affectio affinis est, quę tamen in usu cōmuni, proprium nō habet nomen, sed potest dici a Ascensio, Profectus, seu Aemulatio, quando scilicet de Gradu inferiori alicuyus Virtutis, ad altiorē conscendimus: & est nobilior pracedēte. Si enim laudabile est nō retrocedere, sed consistere & perseverare in Virtutibus; multò honorificētius est, de minori Virtute, ad mayorē Virtutē ascēdere.

Sed & Pęnitētia Christiana, nō aliqua singularis Virtus est, at magis quędā officina oīum Virtutū; Nihil .n. aliud est, quā quędā iteratio, ac cōpēsatio intermissarā Virtutū, Nā cū perpetuò benè agere, ac rectè nos gerere teneamur, neq; id fecimus, sed in aliqua Vitia prolapsi sumus: necesse est, vt deinceps mayori cōtētione, ad operationē Virtutū accingamur, ac damna inde accepta, nō yam ordinario opere, sed mayòre labore redintegremus, et ad illū statū innocētię redeamus, in quo eramus, quādo sacro Baptismate abluti fuimus. Nisi .n. per hāc Pœnitētiā, de cōtractis p nos debitis, Deo omniū bonorū largitori satisfecerimus; nequaquā ei grati esse poterimus. Et sicuti quispiā debitor, licet plura debita nō faciat, ea rōne tamen creditori nō satisfacit; nisi priora et exsolvat;

solvat; Ita is qui Deum, vitiosis suis operationibus offendit, non ei satisfacit ad plenum, si in posterum non offendat; nisi etiam priora Malefacta, æquivalentibus vel mayioribus benefactis compẽset. Sic omnes reliquæ Virtutes Morales, vel sunt Afflictiones harum trium, vel sunt Species earum, & sunt innumeræ.

Homo Virtute præditus, optimè à Domino, bonę ac fructiferæ Arbori comparatur. Nam quod in Arbore insitio, hoc in homine baptisma: quod in Arbore humor, hoc in homine Virtus; quod in Arbore fructus, hoc in homine sunt operationes Virtutum. Et quemadmodum Arbori fructiferæ ac vivæ, semper ille vigor inest, fructus autem non semper adsunt, sed suo tempore, hoc est in authumno humore ascendente, prodeunt: ita in homine Virtute prędito, ille habitus Virtutis, ut perpetuò insit, non tamen semper, sed data occasione foris in opere appareat, necesse est. Quod si quis verò occasionem negligat, statim non esse talis deprehenditur. Eadem omninò ratione, qua Arbor si authumno fructus non afferat: vel sylvestris vel infructuosa, vel certè omninò siccæ esse cognoscitur, & sic ad nihilum valet, nisi ut exscindatur, & in ignem mittatur. Bona autem arbor quę secus decursus aquarum plantata est, semper suo tempore fructum proferet.

F I N I S.

POLITICA DECEM PRAECEPTA.

Princeps Christianus, qui Rempublicam benè vult gubernare.

1. *IN primis, Deum Opt. Max. prę oculis semper habeat, ab ipso consilium & auxilium petat, omnes suas actiones ad gloriã eyus, & populi sibi commissi salutem ac utilitatem dirigat.*

2. *Prę omnibus alijs cogitationibus, eas maximè animo volvat, quę sui muneris sunt proprię. Crebras inquam consultationes ineat, qua ratione Religio Catholica, ac boni Mores propagandi, qua Iustitię cursus dirigendus, qua Pax Populi sui, qua rerum Abundantia vigeant.*

3. *Ad Consilia, cæterosq; Magistratus, tã civiles quàm bellicos, Viros non sanguine claros, vel familiaritate charos, sed pios ac prudentes undecunq; conquisitos adhibeat. Auaritia, vel Ignorantia*

rantia notatos, ammoveat, ac si res postulaverit, etiam supplicio plectat, probos contra beneficiis afficiat.

4. *Habeat tam in suis quàm in alienis, præsertim verò vicinioribus Provintiis, viros sagaces, eosque occultos, qui de omnibus rebus, quæ ibi sunt, eum certiorem faciant. Suas autem deliberationes, ne intimis quidem, nisi quantum necessitas postulaverit, aperiat. Ab omnibus, de iis quæ publici sunt boni, libenter se admoneri patiatur.*

5. *Magnatum liberos in [illegible] nutriat, in primis pietate bonisq; moribus, dein belli pacisq; artibus, non obiter inbuendos. Vt indè, tanquam ex aliquo Equo Troyano, ad omnia Reipublicæ munia obeunda, benè instructi prodeant.*

6. *Iustitiæ cursum promoveat, sublatis Processum ambagibus, Munera à tribunalibus arceat. Neque alia quacunque via, inferiores à potentioribus vexari patiatur. Bonas leges ferat, earumque severus custos esto.*

7. *Ea quæ ad Bellum sunt necessaria, semper in promptu habeat. Omnis Iuventus sit conscripta, eaq; statis temporibus, bellicis ludicris à veteranis belli ductoribus exerceatur. Arma omnis generis, multus Commeatus, Vrbes & oppida munita sint.*

8. *Bona Deo dicata, ad prophanos usus, non patiatur converti. Sacerdotia quæ sui iuris patronatus sunt, non favore distribuat, sed viris doctrina, ac magis pietate ornatis deferat.*

9. *Annonæ aliarumq. Rerum, quæ vel efferuntur, vel inferuntur, pro locorum & temporum conditione, precia constituat, ei negotio certum Magistratum destinet. Mercaturam aliasq. artes, quibus populi ditantur, in suis Provintiis frequentari curet.*

10. *Vectigalia, aliosq. census ita moderetur, ne pauperiores præ ditioribus mayora onera sentiant, neque unà omnes simul plusquàm Reipub. necessarium sit, aggraventur. Ideoq. inutiles sumtus tollat, peculatui obicem ponat; rationes dati & accepti sæpius subducat: ut hac ratione, ad omnes emergentes casus, præcipuè ad belli necessitates, thesaurum repositum habeat, &c.*

FINIS.

Correctore Ioanne Thuilio Mariæmontano Tirolensi.



VENETIIS.

M DC XVI.

Ex Typographia Ambrosij Dei.

Superiorum permissu, & Priuilegio.